



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Solida, Verboqve Dei Et Libro Concordiae Christianæ  
congrua Decisio, Qvatvor Illorvm Inter Aliqvos Theologos  
Augustanæ Confessionis, Nuperrime Controversorum  
Capitum Principaliorum, de verâ ...**

**Johann Georg <I., Sachsen, Kurfürst>**

**Lipsiæ?, [ca. 1624]**

Antithesis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-32961**

## A N T I T H E S I S.

be-

1. Erroneum e contra est, quòd caro Christi per unionem personalem adeò exaltata sit, ut nulla alia exaltatio, quam hæc sola de Christo in tota Scriptura Sacra tradatur & doceatur. Etsi enim per Unionem personalem caro assumpta valdè sublimata est: expressè tamen Scriptura Sacra testatur, quòd huic ipsi Christo IESU secundum carnem, longo post Nativitatem intervallo, alia quoque & singularis planè ὑπερέβησεν obtigerit, per quam ad plenarium usum maiestatis divinæ pervenit, uti Formula quoque Concordiæ Christianæ testatur.
2. Erroneum est, docere, quod Christus à primo conceptionis momento in cælos ascenderit: factum enim hoc demum est quadragesima die post resurrectionem eius, Act. 1. vers. 9.
3. Erroneum est, quòd Christus à primo conceptionis momento ad dexteram Dei sederit: neque enim Scriptura Sacra sic loqui consuevit: sicut & Libri nostri Symbolici eiusmodi phrasés non usurpant: Sed sessio CHRISTI, vel exaltatio eiusdem ad dexteram DEI, visibilem Ascensionem demum sequitur, uti totius Scripturæ textus planè & perspicuè testatur.
4. Erroneum est, dicere, Christum in statu Exinanitionis, etiam juxta carnem, tam potenter omnibus creaturis dominatum, quam nunc ad dexteram DEI: & in eo solùm differentiam esse, quòd CHRISTUS in statu Exinanitionis occultè & latenter

tenter regnavit, nunc autem manifestè dominetur: Sacra enim Scriptura nec de occulta, nec de manifesta incessante gubernatione CHRISTI secundum humanitatem in statu Exinanitionis quicquam habet: uti infra in diexodo capitis quarti fufius ostendetur.

5. Erroneum est, si negatur, CHRISTUM in statu Exinanitionis, juxta carnem, se, quoad plenarium usum infinitæ suæ majestatis, vel personaliter inhabitantis totius plenitudinis Deitatis exinanivisse. Hoc enim Apostolus perspicuè totidemque verbis asserit, Philip. 2. v. 7. Exinaniavit seipsum, forma servi assumpta.
6. Erroneum est, cum humanitas CHRISTI, etiam secundum idiomata naturæ divinæ DEO æqualis, & unum cum DEO statuitur: Etsi enim eam *ὁὐδ' ἴσον DEO esse*, adeoque *ἐν ὑποστάσει τῷ Λόγῳ* ad consortium Sacrosanctæ Trinitatis pertinere conceditur: non tamen inde sequitur, quòd DEO sit æqualis, vel unum cum Deo facta sit: quemadmodum & Scriptura Sacra ab ejusmodi phrasibus abstinet: Liberque Concordiæ in articulo de Persona Christi, antithesi 9. expresse eas rejicit. Secundum divinam naturam, & quidem solam, Christus Patri suo cœlesti æqualis, & unum cum Patre est: Secundum humanam autem naturam, minor Patre, & Pater major est: uti Servator ipsemet innuit, Johann. 14. v. 28. Et Symbolum Athanasianum expresse consentit.

Atque

Atque hæc etiam de tertio capite primariò dicta sufficiant. Plurimum sanè refert, genuinum ejusdem intellectum habere. Tam clarè autem, perspicuè, & ad oculum quasi, tum in Scriptura Sacra, tum in libris Symbolicis nostris caput hoc enucleatur & tractatur, ut supervacaneum sit planè, scrupulosius hic rimari: Utilissimum potius, & tutissimum, in ordine, quem Scriptura Sacra innuit, unicè acquiescere, & firmissima fide tenere, quòd CHRISTUS jam secundum utramque naturam in cœlo & in terra, omnipræsenter dominetur & imperet. Quemadmodum hoc ipsum in statu Exinani-  
tionis etiam facere valuisset, si voluisset, & non potius voluntariè regimine planario  
se abdicasset.



CAPUT